

1307

DE
AMOLIENDIS
SANITATIS PVBLICAE
IMPEDIMENTIS.

GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
VENIA

P R A E S I D E

D. ANTONIO GVILIELMO PLAZIO

PATHOL. P. P. O. FACVLT. MED. ET NATION. SAXON.
SENIORE DECEMVIRO MAIOR. PRINCIP. COLL. COLLEGA
ACAD. IMPERIAL. NATVR. CVRIOS. SOCIO

ACAD. H. T. RECTORE

PRO DOCTORIS GRADV

DISPV T A T

CHRISTIANVS LIEBING

L I P S I C V S.

MEDICINAE BACCALAVREVS.

LIPSIAE AD D. XX. SEPTEMBR. A. R. G. MDCCLXXI.

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Med. for.
118,38

Handwritten signature: Christianus Lieb. 35. a. b.

Medic. forens. 208

HORATIVS Epistol. Libr. I. epist. I. v. 120.

Nec medici credis, nec curatoris egere?





DE AMOLIENDIS
SANITATIS PVBLICAE
IMPEDIMENTIS.

I.



Vti latissime iamtum patet medicorum officium, quibus priuatorum concredita est sanitas, utpote cum innumerae sint causae, vel vltro morbos diuersissimos in singulis producentes, atque ipsis saepe insciis, tum subitaneae malignitatis impetu, tum clandestinae tarditatis dolositate perniciosae futurae, vel ipsorum etiam culpa inuitatae, atque imprudentia auctae, ita longe grauior certe ipsorum censendus videbitur labor, cum vniuersae ciuitatis curam gerere, atque publicae sanitati inuigilare tenentur. Quo maior videlicet ciuium est numerus, a quorum abundantia, magna utique felicitatis publicae pars pendet, et quo pluribus eapropter modis, diuersissimo viuendi et sentiendi genere discrepant, eo plures quoque, et physicorum et politicorum malorum, hanc

Medicorum est, publicam quoque salutem curare.

ipsam felicitatem plus vno modo conturbantium, deprehenduntur fontes. Quibus modis, quibusue ex causis, politicus ciuitatum status aegrotet, hic dicere haud attinet, cum haec aliorum, hac in re longe peritiorum, sint negotia, quorum est, origines horum, exitiosissimorum haud raro morborum, non solum exacte detegere, verum etiam sapientissima ad eosdem efficaciter suppressandos consilia subministrare.^{a)} Quocunque vero modo publica res aegrotet, vel saltem grauiorum aegritudinum pericula sibi imminere intelligat, semper felicitatis quoque eius magnam, ad omnes facile transituram, metuendam esse iacturam, haud vlla dubitare conuenit ratione, tanto perniciosiorem futuram, quanto negligentiores, in causis damnorum istorum maturrime extirpandis fuerint, quibus cura ciuium deman data est, in eo certe non ponenda, vt eosdem deglubendo, atque opibus, aut vi aut subdole exuendo, magistratus sui seuera pariter ac reprobata dent documenta, sed vt ingenuo vigilantiae studio, atque paterni amoris affectu, omnibus commendentur. Quantum autem legislatorum et magistratum, in moribus regendis, sapientia valet atque autoritas, tantum profecto medicorum quoque valeat oportet, in illis causis sollicite explorandis et remouendis sollertia, quae, etiamsi vix vllius esse quandoque videantur momenti, dolo so tamen suo veneno, dulcissimis saepe illecebris occultato, in sanitatem tandem et vitam populorum, atrocissimo defaeuire consueuerunt impetu. De his, et conueniente cum accuratione cognoscendis, et assidua cum cura suppressendis, dum magistratibus serio allaborandum est, vix tamen vnquam euentum optatis plene satis responsurum, haud temere existimauerim, nisi et medicae artis peritorum in partes

a) Confer. CHRISTIAN. LVDOV. KIRSTEINI Dissert. de vera ciuitatis felicitate, Lips. 1749. habita.

tes vocetur adiutorium, non, quod fauore quodam in artis meae socios ductus, ipsos publicis negotiis immiscere cupiam, sed, quod ipsa ratio, eorum consilia audienda esse imperet, qui vberiore in his rebus cognitione instructi, atque quotidiano vsu edocti, quid vitae et sanitati ciuium obesse videatur, perspectum habere poterant. Cumque aliquibus iamtum scriptiunculis, de nonnullis sanitatis publicae impedimentis, et sollicite inuestigandis, et prudenter remouendis, a me fuerit expositum, non prorsus superuacuum me suscepturum auguror laborem, si quidem in hoc argumento vltius persequendo pergere constituerim, non, quod nouitate dicendorum commendatum iri existinem, aut in quo pertractando, miro exuberantis ingenii acumine, lectores oblectare cupiam, quem seculi huius morem, in senio iamtum constitutus, imitari ignoro; sed quod, quae vera, atque a pluribus iamtum saepius proposita fuerunt, opportuna cohortatione in memoriam reuocasse, et ingenui medici, et boni ciuis, qualem me quoque haberi cupio, officium esse credam.

II.

Cum salus populorum, supremae semper legis loco esse debeat, in eadem quoque omnibus viribus stabilienda, potior rem publicae rei gubernatorum ponendam esse curam, et officii, cui adstricti sunt, exigit necessitas, et vberissima inde nascitura suadere videntur commoda. Quid vero optabilius esse poterit ciuibus, sub communi magistratuum tutela viuentibus, quidue ipsorum saluti magis poterit esse fructuosum, quam securitatis publicae pariter ac domesticae frui beneficio, tum vt omnes, a quibuslibet violentioribus tuti uiuant attentationibus, tum vt singuli, de bonorum suorum tranquilla laetari queant possessione, nullis rapinarum periculis exposita, neque vllis turbarum motibus temere in discrimen

*Tranquillitas
publica con-
seruanda.*

crimen danda. Ecquid vero turbæ ad medicum? Dispiciamus nihilo fecius, quantopere hac ipsa ratione, et status politici ordo, et complurium sanitas conturbetur, et quantopere vterque, indissolubili hac in parte inter se iungantur nexu. Quæ enim ciuili rei damnosa sunt publicorum diffidiorum discrimina, facile etiam physico pernicioso effectu ad plures transeunt. Clandestinis sæpe discordia ciuium, aut inter se, aut cum aliis, gliscit igniculis, qui, nisi cito supprimantur, aut leuioris habeantur, maximarum vtplurimum seditionum infelicissima fiunt nutrimenta, quandoquidem *nemo frequentius opprimitur, quam qui nihil timet, et securitas frequentissimum calamitatum est initium,* ^{b)} etenim

*nemo adeo est tutus, qui non aliquando timere
debeat.* ^{c)}

Et, quam multæ sunt in ciuitatibus, populi potissimum frequentia abundantibus, causæ, quæ, siue iustæ fuerint, siue ciuibus opportuna saltem videantur, variis turbis excitandis infelicissimas dare solent origines, cum nempe iis, qui præsunt, succensetur, aut imperium eorum grauius fertur, aut vbi circa minutias implacabile accenditur odium, aut vbi maiora auidius concupiscentes, in laetioris fortunæ spem venire contendunt. Tantis vero calamitatibus, fortunatissimas ciuitates pessundatas fuisse, tristissima et antiquiorum et recentiorum temporum docuerunt exempla, quibus, *nullum perniciosius reipublicæ esse malum, constitit, quam quod eam diuidit, et ex una plures facit.* ^{d)} In his ergo malis, maturime non solum supprimendis, verum etiam, cum iam vires ceperint, prudentissime sopiendis, maxima eorum, qui ad clauum reipublicæ sedent, posita sit oportet sapientia, ita omnino administranda, ne festinante rigore,
mali

b) VELLEI. PATERCVL. Lib. XI. cap. 118.

c) ALCIMVS AVITVS *de laude castit.* v. 136.

d) PLATO *de republ.* Libr. V.

mali vehementia exacerbetur, quae lenioribus auxiliis facile forte compesci potuisset. Vti enim in morbis acutioribus, haud semper potentissima adhibere medicamina, atque ignibus ignes compescere, tutum satis est, ita etiam in animis seditiosorum placandis, et ad officium reducendis, mirioribus praestabit ante, quam ad duriora deproperetur, vti consiliis; *cum enim seditiones moueri incipiunt, atque vis vi repellitur, neque vindicta aequitate aut humanitate, sed cupiditate et armorum licentia sumitur, necessario calamitates quasi orbe quodam semper reuoluuntur, continentique successione mala malis adduntur.* ^{e)} Nimia videlicet feueritate, mentes equidem tantisper pacari, vel potius, quo minus feroci nimium impetu defauiant, aliquamdiu coerceri videntur, cum tamen tacito sub pectore latens ira, opportuniora saltem expectet tempora, in maiorem denique erumpit truculentiam, cui adeoque mitioribus obuiam iuisse modis, quam vulnera reipublicae, vulneribus cumulasse, praestat. Nunquam enim, nisi cum aperto, et nocuorum et infontium ciuium damno, aut vitae etiam periculo, aduersus ipsos agi poterit, cum sola violentia dominatur, quae vulnera ad mensuram dare nesciens, praecipiti furore in omnes fertur. Et quid proderit, crudelibus hisce praesidiis, cum nequidem opus fuerit, motus saepenumero solamagis petulantia, quam proterua temeritate concitatos compescere, atque illis, qui ne armis quidem recte vti norunt, vt conferto agmine, solaque procacior vlciscendi cupidine, in infontes vtplurimum et inermes ruant, plenam dare licentiam? quorum tamen vitae et sanitati parcendum esse, et humanitas imperat, et publicae rei quam maxime interesse debet, cuius exigua certe, si mutilis abundauerit ciuibus, censenda est felicitas. Hac profecto ratione, dum forte *parti euidam ciuium consuli posse creditur, pars vero negligitur, perniciosissima res in*

^{e)} CICERO *Orat. in Senatu.*

ciui-

ciuitatem inducitur. ^{f)} Sed, ad ipsam aliorum quoque sanitatem tuendam, hoc pertinere consilium, vltro perspici posse auguror, si modo, quantum tranquillitas, tam publica, quam priuata, ad corporis valetudinem confirmandam faciat, aequo perpendere lubeat animo. Quo magis enim in eo est laborandum, vt in corpore sano, mens quoque sana sit, eo maiore quoque cum cura de vtriusque nobilissimae, quae hominem constituit partis, intemerata integritate conseruanda cogitandum esse, haud multis opus est comprobare argumentis. Esse nempe menti cum corpore arctissimum perpetim commercium, ne imperitissimus quidem artis medicae ignorat, vtpote dum alterutro aegrotante, alterius quoque robur valdopere labefactari, vel solo euentu intelligitur. Maximae videlicet sunt, quae ex mentis mutatione, ad corpus quoque transeunt mutationes, indeque animi commotionum, magnam in sanitate et tuenda et restauranda, habendam esse curam, ex rerum sic dictarum non naturalium doctrina, quae in physiologorum traditur scholis, abunde patet. Sanissimus homo, subitanea ira sollicitatus, aut inexpectato etiam gaudio affectus, aut ardentissimo desiderio correptus, tanta quoque corporis agitur inquietudine, vt dies noctesque insomnes transigat, atque tandem, igne clandestino venas populante, corporisque viribus consumtis, nisi turbulenti hi compressi fuerint motus, emaciatus pereat. Humoribus quippe omnium indomita rapiditas, ex oculorum turgescentium, totiusque faciei rubore, calorisque immoderati augmento facile cognoscenda, omnem subducit quietem, corporis alacritati, subinde per somnum restaurandae, summopere necessariam. Sic quoque, cum contrario, repentini terroris aut timoris etiam affectu mens percellitur, atque attonita obstupescit,

f) CICERO *de Offic.* Libr. I. cap. 25.

pescit, mirae in toto circuli sanguinei systemate, atque in
 compluribus functionibus vitalibus et animalibus percipiun-
 tur a naturali ordine declinationes, a prioribus equidem di-
 uersae, simili tamen tristi euentu perniciosae futurae. Re-
 tardatur tunc fluidorum motus, dum ipsorum, per mino-
 rum vasorum, ex horrore et spasmo coangustatorum extre-
 mitates transitus cohibetur, maior vero ipsorum, in cana-
 libus capacioribus collecta copia, et cordi et pulmonibus
 molesta fit, atque anhelosam respirationem, anxietates, in-
 ordinatum spirituum cursum, musculorumque tremorem
 inducit, ex quibus infauftissimis fontibus, innumera alia,
 pro maiore minoreue terroris grauitate, plus minus mortife-
 ra discrimina prouenire, et pathologicis constat rationibus,
 et ipsa affatim testatur experientia. Sunt vero in ciuitatibus,
 non ex virorum tantum genere sat multi, qui nimium irri-
 tabili neruoso systemate praediti, ex minimo saepe terrore
 conuelluntur, atque epilepticorum insultuum, conuulsio-
 num, facile in habituales pertinaciam degenerantium, quin-
 imo apoplexiae letalis pericula, ex hac causa incurrunt,
 maxime vero etiam vniuersi feminei sexus, vtpote natura
 sua mobillimi, *et in hoc*, grauidarum et puerperarum, mi-
 ferrima sit oportet fors, cum, qui ipsis, nihil quidquam
 tale opinantibus, incutiuntur terrores, et ipsas, et quos
 vtero adhuc gerunt, aut lactando nutriunt in futurum ci-
 uitatis commodum foetus, ita afficiunt, vt per omne saepe
 vitae tempus, tristissimarum istarum cum dolore meminisse
 cogantur causarum, quas certe, quantum fieri poterat, in
 quibuscunque turbis, prudente moderamine praecauendis,
 aut omnino non augendis, atque latius diffundendis, omni
 studio amolui, publicae rei moderatorum sapientiae conue-
 nit, eapropter potissimum, quoniam III.

terror saepe ipso maior solet esse periclo. g)

g) OVIDIUS epist. XVI. *Heroid.* v. 351.

B

III.

*Aptitudinis
ad opificia,
habenda est
ratio.*

Non sibi folis autem viuunt ciues, neque a fola ipfo-
rum concordia et fecuritate, falutis publicae incolumitas
pendet, compluribus potius aliis praeterea fuffulcienda prae-
fidiis, quae, dum in publicum transferuntur vsum, et quo
magis omnium necessitati iuuandae, et commoditati adau-
gendae inferuiunt, eo maiore quoque cum follertia fouenda
funt atque gubernanda. Nihil vero magis humanae socie-
tati ftabiliendae et conducit, et necessarium est, quam vt
artificum et opificum falua fint negotia, multis modis hu-
manae vitae, et commoditati, et oblectationibus quoque
profutura. Neque, quae viliores videntur artes manua-
riae, adeo parum idcirco sunt aestimandae, quin magna,
quin imo maiore faepe prae excellentioribus, sese commen-
dent vtilitate. In omnibus enim, cuiuslibet opificis emi-
net dexteritas; siue viles, siue pretiosas accipiant materias,
ipsis non parce infumunt operam, suntque, qui in viliori-
bus artem haud exiguam ostentantes, cum pretiosis
operibus contendunt, et arte supplere norunt, quod mate-
riae deest. Nulli ergo potior prae aliis debetur locus, cum
omnes omnibus simili inferuire cupiant studio, neque et
vilioribus carere possit res publica artibus, quandoquidem
*opifex artificiosus, totius gratia singula facit, et ad communem
vsum omnia dirigit.* ^{h)} Nunquam ex minore materiae pre-
tio, aut ex inferiore ipsius opificis conditione, ipsum aesti-
mandum erit opificium, *sola neglectione et contemptu, artes mi-
noris aestimantur,* ⁱ⁾ maxime ab imperitis, quas tamen cun-
ctas laudare potius conuenit atque iuuare. Cum vero adeo
multa, nimumque diuersa sint, quae in ciuitatibus exercen-
tur artificiorum et opificiorum genera, non sine molestia
solum

^{h)} PLATO *de legibus*, Libr. X.

ⁱ⁾ XENOPHON *de institutione Cyri*, Libr. VII.

solum a multis saepe tractanda, verum etiam non omni periculo destituta, nunquam certe ciuitatum saluti, aut ciuium quoque necessitatibus aut commoditatibus consultum satis erit, si quidem quilibet, sine omni consilio, ad opificia addiscenda et exercenda admittatur, ad quae vel sua saltem propensione fertur, vel parentum aut amicorum persuasione, aut iussu quoque adigitur. Cum autem *in iis potissimum rebus elaborandum sit, ad quas quilibet aptus est,*^{k)} aptitudinis quoque huius, physicam habendam esse rationem, eo magis necessum esse existimauerim, quo certius est, non ex solo artificum numero et nomine, rei publicae metiendam esse famam, sed dexteritatem etiam, atque vires, cuiusuis opificii duris saepe laboribus sustinendis sufficientes, explorandas esse, ne, quod sine deliberatione coeptum fuit institutum, postmodum ob valetudinem inde infirmatam, cum priuatae et publicae rei detrimento deserendum sit. Sunt perquam multa artium et opificiorum genera, ad quae nonnisi illi, quibus ingentes lacertorum sunt tori, apti censendi sunt, quae adeoque parum prudenter instituto a debilibus exercentur, quorum et corporis et animi vires, si quidem prius tentatae fuissent, ad conuenientiores duci potuissent labores, diutius sine noxa ferendos. Quodsi v. c. herniosus, aut pectoris vitio laborans, grauioribus laboribus, quibus violentior corporis motus impendendus est, aut quibus insigniora pondera subinde leuari oportet, diu exercendis parem se fore crediderit, breui spe sua se casurum intelliget; quodsi hypochondriacus, phrygioniae arti, sedentariam vitam cupienti, sese dicare, aut cachecticus metallicos et mercuriales labores tractare constituerit, peruersi huius coepti breui poenitebit. Faber ferrarius, cui ad incudem stanti, magna vi brachia tollenda

B 2

sunt,

k) CICERO *de Offic.* Libr. I. cap. 32.

sunt, quibus ponderosum admodum malleum agitet, nisi confirmato musculorum instructus fuerit robore, parum bonos clauos, nedum canthos cuder. Nonne igitur consultius, et publicae rei opportunius prospectum erit, si quidem, ante quam ad tirocinia admittantur alumni, Seniorum cuiusuis opificii, (quos *Obermeister* vocare solemus) medicis etiam consiliis adiutorum, prius audiantur sententiae? quorum cognitioni committendum est, an huic, quod quilibet aggredi constituit opificio, per corporis quoque vires aptus sit habendus, cum, *qui eiusdem sunt artis, artem quoque optime dirigere norint.* ¹⁾ Quodsi enim multi abusus, et morales et politici, quibus opificum et immunitates corrumpuntur, et facultates consumuntur, abrogari potuerint, quidni etiam prudente circumspectione effici poterit, ut ne sanitas eorum periclitetur, qui ad nonnullas artes quidem propensi, ad virium tamen suarum modulum sese metiri nesciunt, cum aliis, longe minore cum incommodo, atque maiore cum sui et publicae rei utilitate. diutius et concinnius exercendis, aptiores esse possint. Veluti ergo nemo ad militiam admittitur, nisi qui diligente inspectione, an armis ferendis, aliisque molestiis bellicis *tolerandis* idoneus sit, tentatus fuit, ita et simili cautione, in deligendis ad manuaras operas tironibus versandum esse, ipsa imperare videtur prudentia, medicis etiam monitis non iussulta.

IV.

Medicamentorum novorum copia.

Etiam si vero ingenuae hae, artificibus et opificibus factae cohortationes, maximam omnino vim, si quidem haud negligantur, habiturae, vix semper adeo diligenter satis attendantur, quin euentus, hic illic erratum fuisse edoceat, in eo tamen ipsorum laudandam quilibet censebit *afiduum*

1) PHOCYLIDES in *admonit. poem.*

fiduam vigilantiam, quod immunitatum et iurium suorum acer-
rimi sint defensores, neque vnquam sua committant culpa,
vt in suam messem ab alienis manibus falces immittantur,
atque suarum societatum priuilegia, ab imperitis turbatori-
bus, lucrum sibi inique praeripientibus, violentur, quin
potius officinarum adulterinarum submatione corroboren-
tur.^{m)} Quantumuis autem, clandestina quandoque fraudu-
lencia, hisce priuilegiis vis inferatur, non tamen hoc facile
tanto cum publicae rei fit detrimento, quanto cum rei me-
dicae et opprobrio, et sanitatis communis irreparabili sae-
pe damno, illiciti eorum longe lateque inualescunt ausus,
qui sine sufficiente scientiae medicae cognitione, imperium
in cuiusuis generis morbos, e longinquo sibi arrogare ten-
tant. Nihil quidquam hic opus est temere fingere, aut hyper-
bolica amplificatione rem exaggerare notissimam; ipsa loqui-
tur experientia, loquuntur quotidianae propemodum schedu-
lae, per omnem orbem volitantes, splendidissimorum titulo-
rum plenae, quibus incredibilis medicaminum efficacissimo-
rum astralium, solarium, sympatheticorum, cet. commen-
datur farrago, cui capiendae, vastissimae urbis vix credide-
rim sufficere scrinia. Non artis amplius negotium videtur esse
medicina, a rationalibus tantum atque peritis medicis exercen-
da, sed commercii pars, dum sanitas, mercis ad instar, in ta-
bernis venalis est. Quid, si medici, aut pharmacopoei, vicissim
quoque libris, pannis, aromatibus vendendis operam darent?
iustissimae profecto eorum forent querelae, quibus solis, iure
priuatiuo has merces negotiari competit, quorum adeoque cir-
culos, illicita turbare mercatura, cum haud aequum sit, parem
quoque, imo maiorem iurium aequitatem, aduersus legitimos

B 3

tenen-

m) Ita NOLTENIVS illos appellat, quos vulgo *Pfuscher* vocare so-
lemus, in *Lexici latinae linguae antibarbari* Tom. II. Lips. 1768. edi-
to. pag. 109.

tenendam esse medicos, ipsa salutis publicae poscere videtur cura. Vniuersam certe aegrotare credideris urbem, in qua tot tantique medicamentorum nouorum, atque nouis quotidie accessionibus auctorum cumuli, in quamplurimis tabernis prostant; vel innumeros quoque novos ortos fuisse morbos, iusta oriri poterat suspicio, contra quorum vim, tanta medicamentorum sit opus supellectile. Quodsi vero dudum cogniti fuerint morbi, contra quos etiam efficacia iamtum in promptu sunt remedia, quid opus erit, materiae medicae apparatus, satis iamtum amplum, superfluis onerare compositis, atque officinarum iura, magnis sumtibus tuenda, minuere? potissimum cum sola magis speciosa nomina, emtorum nummos e crumenis eliciant, quam peculiari, atque nimium liberaliter laudata specifica virtute sese commendent. Nulla videlicet ratione, aut probabili saltem, nedum indubitata confirmatum videretur veritate, insignem istam, quam talia specifica pollicentur efficaciam, euentu quoque salutari iri corroboratam. Quo enim fundamento, antifebrilia v. c. omnis generis febribus dici poterunt proficua? cum tanta non solum febrium, tam quoad essentialia quam accidentalialia momenta sit diuersitas, verum etiam causarum, et remotiorum et propiorum, toto saepe coelo sibi oppositarum, tantum discrimen, cui certe vnius specifici qualitas, haud vlllo respondere valet modo, adeo, vt manifesta antifebrilium istorum vanitas, vel sola perspici queat ratione, ipsa vero etiam posthac experientia, ventosae qua elata fuerant laudis, luculentissima, neque raro infelicia proponat specimina. Quis podagram integre, atque ita curare poterit, vt podagrica materia penitus ex intimis corporis recessibus eiiciatur, atque nullo vnquam recursum molesta sit? cum materiae podagricae essentia, peritissimos et exercitatissimos in arte medica viros
adeo

adeo dudum fatigauerit, vt se frustra in eius vera indole detegenda laborasse, haud diffiteantur. ⁿ⁾ Hanc, quamdiu ignorauerint doctissimi medici, ipsam certe podagram empirici nunquam profligabunt, vel solo hoc nomine, quod morbum, omnium consensu adhucdum incurabilem habitum, se fugare posse iactent, ridendi; symptomata quidem tantisper forte leuabunt, ipsius vero morbi fontem nunquam constanter suppriment, quin potius, quod tristi saepe cognitum fuit euentu, et quod SYDENHAMVS loco paulo ante commemorato monet, ex temere per sic dicta praestantissima antipodagrica, aut cathartica etiam intempestiue data, retropulsa podagra, longe grauiores morbos, vt plurimum mortiferos, prouocabunt. Quod si autem certum est, medicinam per se vel optimam, sine prudente regimine, aut nullam, aut plane noxiam esse, nunquam certe, si quae etiam bona fuerint medicamina, omnibus ita dici poterunt salutaria, vt sine omni consilio, quocunque tempore, atque quibuslibet subiectis data, laudis suae tueri videantur praestantiam. Non equidem cuncta, quae affatim celebrantur huius generis remedia, in uniuersum reiicere est animus, sed tamen ipsorum non solum copiam admodum esse suspectam, non sine ratione forte auguror, verum etiam inconsultam ipsorum administrationem, publicae sanitati magis esse perniciosam, constanter censeo. Si enim vnum sufficit specificum, quid adeo multis opus est? Si vero nec tam multa, plenam sibi conciliare queant fidem, cur tolerantur? Sic autem medicina, quae artis *cum recta ratione medendi* laudem promeretur, in contemptum abeat necessum est,

n) Ipse SYDENHAMVS, dirissimis podagrae cruciatibus per complures annos vexatus, atque exactissimus omnium phaenomenorum huius morbi obseruator, sub finem *Tractatus sui de podagra*, ingenue profitetur, *radicalem* huius mali curam, in *Democriti puteo*, atque *naturae sinu* adhuc latere.

est, cum rationalium medicorum et consilia et auxilia, vix villo in pretio esse incipiunt, atque phaleratae quorumuis, magnum inter medicos nomen affectantium ostentationi, plena in vitam et sanitatem publicam, impune, quinimo cum lucro grassandi, licentia datur. Cum enim istorum, adeo mirifice celebratorum arcanorum inuentores, nomina sua celent, atque lucem, non modestiae profecto causa, fugiant, quis dolum, vel certe haud iniustam doli subesse suspicionem, dubitauerit? Ecquid enim sibi volunt hi dei ex machina, vel potius ex pyxide aut scatula, cum *miraculosa* sua, (miraculoso profecto impuro latino sermone) omnibus offerunt specifica? Quodsi miraculi vim habeant, naturalia haud erunt, neque venalia esse debent, nunquam enim *vera* miracula pretio quodam emta fuisse memini; sin minus, empiricos omnino redolebunt fumos. Ita vero multi, qui vix supremis tantum labris, nonnulla salutaris artis principia, festinante admodum studio delibarunt, magnorum iamtum in praxi heroum recte venantur famam. Nequid iam de longe manifestioribus circulatorum, seplasiariorum, fellulariorum, idque genus hominum dicam imposturis, qui *nundinarum* tempore, libertate publica freti, vehementissima ex gummi guttae, helboro, aloe, elaterio, bryonia, granis tilli, quin imo etiam venenis parata, credulae plebi, charlatanica cum facundia, exponunt remedia; an vero nundinationum immunitas, immunitatem quoque, sanitatem publicam corrumpendi largiatur, meum non est decernere, dispiciant me prudentiores. Cum pestiferi contagii, in remotioribus locis saeuientis, vel minimus auditur rumor, vt de mercium, ex istis infectis terris apportandarum, circumspecta exploratione, salutaria ineantur consilia, debitae magistratuum conuenit vigilantiae; quae vero non minore cum ciuium damno liberri-

me

me inferuntur medicamina, sine omni cautione emta et adhibita, ipsa propemodum peste, vsus nempe sui diurnitate, videntur exitiosiora, indeque merito rigorosiori medicorum examini, antequam tolerentur, committenda, sique reprobata deprehendantur, in commissum casura.

V.

Haec est maiorum vrbiū miseranda fatis calamitas. Longe vero magis deploranda est minorum oppidorum fors, vtpote quibus, nescio an necessitatis, an consuetudinis quadam quasi impositum esse videtur lege, vt sanitatem suam, ex circumforaneorum compendiosiore pharmaceutico petant apparatu. Quanta sit istiusmodi hominum copia, qui ex remotioribus etiam terris, officinas suas portatiles secum ducentes, atque per vniuersum orbem vagantes, essentias, tincturas, olea, emplastra, vnguenta, axungias, pilulas, mediocri quidem fatis pretio, exiguo tamen quoque emtorum cum emolumento offerunt, neminem omnino latet. Mirae hae panaceae, febribus intermittentibus et continuis, vermibus et epilepsiae, alui laxitati et obstructionibus, luxationibus, ambustioni, indigestioni, oculorum et dentium vitiis, verbo, omnibus morbis, praeteritis, praesentibus, et futuris, celebrantur proficuae, atque auide coemuntur. Cum felicioris magis fatis benignitate, quam medicamentorum bonitate contigerit, vt vni alteriue profuerint, omnium ilico plenam nanciscuntur fidem, nullis rationalis medici ingenuis cohortationibus euertendam. Sola hic dominatur opinio, ne tristissimorum quidem casuum manifestissimis et frequentissimis documentis eiicienda. Aliquam tamen huius erroris facile concedi posse veniam, vel exinde liquet, quod rari admodum sint in minoribus oppidis medici. Aut enim nulli plane sunt, aut artis suae non satis periti, aut, si periti fuerint, adeo exigua laborum

*Medicorum in minoribus vr-
bibus defectus.*

borum suorum habentes praemiola, ut potius alia, ne inopia et fame sibi pereundum sit, quaerere cogantur loca. Quodsi vero computetur, quanta numerorum copia, in istiusmodi minoribus locis, medicamentis quotannis impendatur, a circulatoribus, agyrtis, similibusque ardelionibus coemtis, hanc certe, imo minorem forte summam, si quidem ciues impensis istis, incassum insuntis, parcere constituent, sustentando medico oppidano abunde futuram satis, nisi calculus me fallat, haud vllus dubitauerim, cuius praeter ea rationalibus consiliis, et prudente medicaminum administratione, sanitati publicae et oppidorum, et vicinorum quoque pagorum, ex voto consultum iri, in aprico est. Perquam multi enim, in his quoque locis occurrunt morbi, qui certe folis domesticis, aut aliis, sine vlla cautione adhibitis remediis, nullo modo depelli possunt, sique saltem varios infantulorum morbos, chirurgicam quandoque opem poscentes, aut grauidarum et parturientium incommoda, aut subitaneos epidemicosue morbos dispiciamus, praesentis omnino medici dexteritatem hic requiri, vel sponte sua colligi poterit, cuius assiduitate, multorum vita et sanitas salua profecto futura est, anicularum e contrario, opilionum, atque temerariarum obstetricum ignorantia, facile in praecipitium danda.

VI.

*Natricum et
famulitii cura.*

Non autem ab vniuersa omnium ciuium cura, magistratibus grata habenda, publicae sanitatis tantum pendet integritas, singulorum potius, ad ciuilem societatem pertinentium membrorum, simili modo tuendam esse inuicem sanitatem, ipsius commodi, ad plures postmodum redundaturi, imperare videtur ratio. Cum enim quaelibet familia, et quicumque singuli ad familiam pertinent, totius ciuitatis partem constituent, nulla omnino committendum est ratio-

ratione, vt cuiusdam, in sua suorumque valetudine curanda, argui possint incuriae. Quaecunque ergo, vel infantulorum, vel famulitii quoque sanitati perniciosae esse poterant causae, tanto maiore cum sollicitudine sunt remouendae, quanto pluris interest, vt et posteritas ciuitati prospiciatur, et quae a famulitii officiis pendent rerum domesticarum commoditates, omni molestia careant. Infantulos quod attinet, vix quadam in re frequentius, quam in horum aut peccari, aut nimium tamen saepe errari cura, affatim intelligimus. Non iam de incredibili iterum monere opus est earum negligentia, quae, dum infantulorum corpora, a deformiore membrorum dislocatione, aliisue defendere debent iniuriis, hac in re quoque officii sui, dum sanitati futurorum ciuium potius officiant, nimium sunt inmemores, de quibus iamtum superiore tractatione, §. IX. a me expositum fuit; *) primae potius infantilium annorum stationis, tantisper iam dispicere lubet conditionem, quandoquidem in hac omnino, futurae quoque sanitatis fundamenta iamtum ponenda esse arbitror, ne, quae tenerioribus istis corpusculis, aut nimia indulgentia, aut vehementiore etiam vi, illata fuit iniuria, tristissimos, per omne saepe vitae tempus duraturos, inducat effectus. Nato autem homini, bonum et conueniens subministrandum esse nutrimentum, ipsa imperat ratio, cum non nisi ea, quae debilioribus adhuc pusionum viribus respondent, exhibenda sint. Commune autem, quod natura ipsa homini iam nato offert alimentum, lac maternum est, quod, cum antiquato dudum inter quamplurimas more, foetibus denegetur, conductitio lacti cedere cogitur. In bona autem nutrice deligenda, adeo parum medicorum audiuntur consilia, vt potius

C 2

omnis

*) In Dissert. de remouendis sanitatis publicae impedimentis, hoc ipso anno d. 14. Mart. habita.

omnis res a matronarum fauore atque autoritate, possessiuo quodam iure stabilita, pendere videatur. Est nihilo secius ardua omnino res, neque superficiali cura expedienda, quandoquidem nutricis qualitati, et viuendi rationi, et physicus et moralis saepe, lactentis alumni debetur status.^{o)} Haec vero a paucissimis attenduntur, dummodo propter matrum commoditatem, alienis manibus nati hominis concredita fuerit nutritio; in quo negotio, per varias tantum, consuetudine ita ferente, itur sententias, quibus, qualis placeat, non, quae vere bona sit nutrix, decernitur. Haec rusticae fauet, illa urbicae,

Tulliae honesta placet, petulans meretricula Caiæ.

Lustrantur variae huius generis femellae, vt in confessu omnium, quaenam assensum latura sit, statui possit. Haec obesa nimis est, illa stramine gracilior; haec sordida, haec somnolenta, illa vorax, ista rixosa est; quasi vero virtutes ab illis sint exigendae, quae pudicitiae virtute abdicata, illicitae Veneris degustatis voluptatibus, mercenariarum matrum vices ambientes,

Nutricum tolerant, fortuna urgente labores. P)

Eligitur tandem vna, admodum diligenter forte quoad externum habitum explorata, an vero ceteroquin sana satis, neque impurioribus humoribus, aut plane venereis corrupta sit inquinamentis, raro disquiritur, sicque, si secus res comparata fuerit, miserorum infantulorum vita, a primis statim cunabulis in discrimen datur, atque vel praemature fato, ciuibus membra, ipsis vtilia suo tempore futura, eripiuntur, vel morbosorum, atque hinc oneri magis futurorum ciuium

^{o)} An nutricum mores cum lacte imbibantur? affirmatur apud CAMERARIUM in *Sylloge memorabilium medicorum*, P. XXX. Cent. 18.

P) IUVENALIS Sat. VI. v. 592.

uitum numerus augetur. Quae vero in nutricum cau-
to delectu tenenda sunt monita non minorem in fa-
mulitio eligendo habere vim existimauerim. Non immun-
ditiam solum in domibus, potissimum circa conclauia et
supellectilia varia vitare decebit, vtpote quae sola causa,
perquam multis morbis inducendis aptissima est, ^{q)} verum
ipforum famulorum et famularum quoque corpora, talibus
haud inquinata esse oportebit malis, quae diu quidem sol-
licite occultata, facile tamen ad vniuersam familiam trans-
ire, eandemque pessime inficere poterant. Quodsi illae,
quibus rei culinariae demandata sunt ministeria, et quibus
omnis generis cibi manibus tractandi sunt, scabie, aut tur-
pium pustularum porrigine vitiatae fuerint, aut quarum
ora, cum fercula varia degustanda sunt, vlceribus scateant, quid-
ni ex hoc contagio, infelicissimo traduce, ad omnes qui
istis fruuntur cibis propagato, omnium quoque corru-
ptam iri sanitatem, merito metuatur, indeque quae multis
forte superflua videri poterat hac in re cura, propter grauissi-
ma quamplurima mala, vniuersis familiis perniciofa futu-
ra, neutiquam prorsus negligenda censeatur?

VII.

Haec intra honestissimas domos, citra dominorum *Suspectarum*
culpam contingere posse, quis dubitauerit? quanto igitur *domuum fre-*
maiora ad publicam rem redundatura opinabimur damna, *quentior visi-*
si quidem, quid in suspectis peragatur domibus, paulo cu- *tatio.*
ratiore cum attentione perpendere lubeat. Vti enim in ma-
ioribus vrbibus, cuiuscunque generis voluptatibus atque
illecebrosis oblectationibus, vberrima datur occasio, cum
vel sola incolarum copia, atque tot animorum, diuersissi-
ma sentientium, volubilis propensio, ad diuersa quoque,

C 3

q) Varias ex immunditiae noxas exposuit b. III. PLATNERVS, in
Dissert. de morbis ex immunditiis, Lips. 1731. habita.

quibus desideriiis suis satiandis ministret, feratur obiecta, ita fieri omnino haud potest, quin perquam multi, nec virtutis semper memores, nec sanitatis quoque suae satis studiosi, indomitis ferociorum cupidinum stimulis agitati, in eo tantum laborent, aut in eo vitae quaerendam esse dulcedinem opinentur, vt immoderatam impetuosae libidinis expleant appetentiam, atque honestate et humanitate prope modum omni abdicata, illiciti amoris insidioso incendantur igne, *immoderatum amorem, neque bonum nomen, neque laudem conciliare*, nescientes. ^{r)} Sunt innumera, in insignioribus potissimum vrbibus, honestissimarum oblectationum genera, quibus et iuuenilis refici poterat animus, et quae adultiorem etiam et grauiorem aetatem haud dedecent, tam publicis in locis suscipienda, quam priuatim quoque vario varioque modo adornanda, *maximoque praeterea* commodo sanitati futura. Sunt amoenissimi horti, sunt herbofo vestita gramine prata, quorum gratissimis coloribus et odoribus sensus reficiantur; sunt suauissimi concentus musici, concordie vocum discordia mentem mulcentes; sunt comoediae nonnullae, in quibus virtutum vitiorumque imagines viuide admodum exponuntur; *neque deficiunt* confortia, in quibus argutis indulgetur iocis, dum

laeta coronati peragunt conuiuia amici,

et complures aliae recreationum vicissitudines, tam iucunditate, quam et vtilitate sua, dum corpus quoque exercetur, commendabiles. Tanta nihilo fecius inter haud paucos dominatur ad vitia libido, vt nescio quam, in solutio-re atque turpissimo viuendi genere, gloriolam potius quaerere, quam virtutis laude eminere cupiant, atque id omni agant contentione, vt nequissimis artibus, quibus prauissimum

r) EVRIPIDES in *Medea*.

num venantur lucrum, alios in vitiorum rapiant confortium, atque impudentissimorum factorum incendant desiderio. Vix turpius autem propemodum dici, aut humanae societati perniciosius cogitari poterit vitium, quam impurissimum, nimium admodum frequens, cum propudiosis femellis commercium. Clandestinae huius Veneris officiosissimi, nullibi non sunt ministri, qui iniquissimi lucri inde capiendi spe allecti, atque in alienis corporibus fordidissimum quaestum facientes, dolosis suis illecebris, incautos, atque ad has voluptates vesano aestu proclives iuuenum animos, ita irretiant ut, cum semel has degustauerint dulcedines, insatiabili iisdem perpetim fruendi inebrientur desiderio, tandem vero, dignissimas effrenatarum suarum cupidinum poenas, nisi impuro contagio contracto luant, iuuenilium tamen virum iactura, mature admodum inducta, dare cogantur, cum post praelia ista ingloria, immoderatus aliquamdiu gesta, contabescencia, vix vlla arte emendanda, faciei pallor, sensuum torpor, neruosi systematis infirmitas, aliaque id genus mala, quam citato cursu, ad senilis effoetaeque imbecillitatis molestias, media florentissimae iuuentutis aetate deproperauerint strenui isti milites, edoceant, quos sera postmodum poenitentia, cum

*cutem adducit macies, et in aera succus
corporis omnis abit,¹⁾*

quam imprudenter errauerint, assidue arguit. Quales hi futuri sint ciues, et quam irrita ipsorum dehinc futura sint vota et conamina, cum legitimi coniugii fructus suo tempore legere exoptent, haud difficile erit iudicatu; qua spe, cum non possint non frustrari, aequissimo merito cuius ferendum videbitur animo, si quidem emeritum talem

*emendicata facit vxor prole parentem *)*

Istis

s) OVIDIUS Metamorph. Libr. III. v. 401.

*) HEBENSTREITIVS in *Pathologia metrica* §. IV. v. 32.

Istis profecto damnis nisi prorsus auertendis, maximopere tamen imminuendis, non legum tantum sufficere existimaerim rigorem, utpote quo non semper efficitur, ut debitum iisdem praestetur obsequium, sed ut recte magis aduersus easdem peccetur, quin potius, cum nunquam magistratum latere possit, quid intra vrbes aut pagos peragatur, et qualia cuiuslibet domus sint negotia, frequentiore, atque improviso tempore, in aedibus suspectis suscepta lustratione, impetrandum erit, ut ne hac de parte, et fama et sanitas ciuium in periculo sit, neque huius detrimenti, publicae rei gubernatorum accusari queat aut culposa indulgentia, aut plane incuria.

VIII.

*Calidorum potentiorum
abusus.*

Quanto autem manifestiores sunt noxae, ex turpioris amoris fraudulentis igniculis in publicam sanitatem defauiantes, seuerioribus omnino consiliis auertendae, tanto nihilo fecius difficilior videtur illis opponi posse medela erroribus, qui sub salubritatis quadam specie occultati, lento effectuum suorum perniciosiorum incremento, complurium viribus resoluendis, vel eapropter nimium apti sunt existimandi, quod irradicatae opinionis nitantur praeiudicio, atque ex nonnullorum non intellecta satis commendatione, legis instar, qua sanitas confirmari praecipitur, habeantur. Calidorum potentiorum imprudentiorem huc potissimum pertinere usum, non sine ratione censeo. Nihil iam de Cofetani potus noxis exponere opus est, utpote cuius quamplurima damna, et a multis iamtum medicis vberime enumerata, et a me quoque olim commemorata fuerunt. ^{t)} Nescio vero, an seriis nonnullorum medicorum monitis, an sola ad res novas procliuitate factum fuerit, quod aliquo abhinc tempore, fuscae hae deliciae, per integrum seculum et ultra, adeo impense deamatae,

t) In Dissert de potus Cofe abusu noxio, Lips. 1733. habita.

matae, in contemptum abire apud nonnullos inceperint, non, quod potulentis calidioribus nuncium prorsus mittere constitutum fuerit, sed quod alius succedaneus potus maiora tulerit suffragia. Etiam si enim adeo vili pretio, complurimae fructuum Cofeae species nunc prostent, ut vel infimae sortis hominibus, decoctum exinde paratum, in quotidianum atque frequentiore cesserit usum, cum tamen indigenum secales frumentum, longe minoris veneat, huius grana tosta, etiam nobiliorum placere videntur palato, quantumvis, si quidem ingenue rem profiteri liceat, gratiore forte sapore, nunquam Cofeae fructus superent, sed sola nonnullorum commendatione, salubriora existimentur. Non pauca videlicet prostant, in fecalini huius potus laudem, qui nouo nunc barbaro nomine, Chocolatae propemodum consono, *Rockelate* appellatur, euulgata scripta, nemini forte, utpote cum recentiora sint, ignota, quorum fidei haud quidpiam derogare est animus, veluti vicissim Cofetani potus causam gerere haud constitutum est. Vtriusque salua poterit esse utilitas, in modico tamen eius usu saltem ponenda. Sed, quis est, quin sciat, nouum illum fecalinum potum, sola pretii sui vilitate, adeo multos, sibi in mediocribus etiam rebus imperare nescios, allicere, ut intemperanter ipsum deforbendo, vna cum blando hoc veneno, variorum quoque morborum causas bibant. Quanta enim sit calidae humiditatis vis, vel solidissimas atque tenacissimas corporum fibras relaxandi, atque elasticum ipsarum tonum infirmandi, non opus est grauiore multorum argumentorum pondere probare, cum ne mechanicis quidem et opificibus ignotum sit, rigidissima corpora, tepida humiditate fota, obsequiosissima fieri, tandemque omnem resistendi vim perdere. Qualem adeoque ventriculis istiusmodi potorum, quotidiana calida humiditate maceratis, efficaciam futuram opinabimur, ad

D

ingesta

ingesta varia subigenda, digerenda, atque bonorum humorum elaborationi adaptanda? qualis futura erit vasorum atque viscerum debilitatorum, in humores rite commouendos et secernendos potentia? quomodo sanguis, qui vegeta perpetim indiget agitatione, ne ad quietem dispositus lentorem contrahat, a tenaciore defendetur cohaesione, infaustissima immeabilitatis causa? qualem, spiritibus vitalibus elaborandis subministrabit materiam? et quae denique, ut complura alia taceam mala, manifestior cachexiae, tremoris arduum, vertiginosorum insultuum, tumorum hydropicorum, putredinosae humorum resolutionis, accusanda erit causa, nisi in calidorum potulentorum abusu tanto certius ponenda, ^{u)} quanto parcior est frigidiorum potulentorum usus, quo tamen, si quidem fibrarum robur sustinendum fuerit, nunquam humanum corpus commode carere potest. Quanto maiora vero, ex oeconomicis forte rationibus, ad rem publicam redundare videntur, ex secalini decocti usu emolumenta, admodum tamen, si quidem recte sentio, mediocria, tanto insigniora potius, si ex complurium, intemperantius ipso fruendum, corrupta prouenire sanitate, constanter crediderim damna, aut per rationes medicas egregie fallor, aut nulla omnino metuenda esse, a peritioribus edoceri optauerim. Non enim cuncta, quae ciuium crumenis proficua sunt, pari cum ipsorum sanitate incedere videntur passu.

IX.

*Aedificiorum
instruendo-
rum ratio.*

Transeamus denique ad ipsas ciuium habitationes, atque dispiciamus, an cuncta, quae et ipsarum structuram, et interiorum quoque concernunt conditionem, ita opportune semper dici possint instructa, ut et medicorum assensum

^{u)} Vberiore huius argumenti tractationem habet Exper. HEINE in Dissert. de noxis et abusu caldae, Lipsi. 1747. habita.

sum omni ex parte promereri, atque sanitati etiam satis accommodata existimari queant. Etiam si enim, vel splendidissima, qualia in amplioribus conspiciuntur urbibus palatia, a possessoribus suis tanquam ad immortalitatem aedificata, pulchritudine sua, partium omnium concinnitate, iusta proportione, atque ornamentorum nitore, nihil aduersus architecturae regulas peccatum fuisse comprobent, multa tamen forte desiderari poterant, quae nonnullas habitationes, negligentiae cuiusdam, in iisdem ad sanitatem instruendis commissae, arguant. Poterit longitudini latitudo exactissime respondere; fenestrae liberae, ad quodlibet anni tempus poterunt esse accommodatae; altitudo conclauium conueniens, omni forte carebit errore; haec tamen cuncta, omni respondere fini, haud quaquam existimandum erit. Quid proficiet effusus lapidum sumtus, quorum multi e longinquo, magnis adducti sunt impensis? quid aureo culmine ornata laquearia, nisi pompam saltem et opulentiam dominorum testantur? Supervacanea haec sunt, quandoquidem et sine his, vita et sanitate frui licet, cum non ex spatiosis vasti aedificii, conclauibus, neque ex admiratorum applausu, verum potius ex cuiusuis partis instructione, sanitati quoque opportuna, maiores longe et salubriores capiendi sint fructus. Perquam multa sunt nimirum commoda, quae non ex domuum amplitudine, et splendore, sed ex earum salubritate metienda sunt. Nec sola securitas aut firmitas, nec sola commoditas, domuum commendat splendorem, aut utilitatem, maxima potius eo dirigenda est cura, ut ne inhabitantibus, ea quae intra domus sunt aut peraguntur, nociua euadant, aut nonnullarum partium, parum apto loco positarum, ea sit conditio, cuius commoditas, incommodorum quotidianorum molestiis inde orituris, longe deprehendatur inferior. Est autem,

non tam inueteratus, quam huius forte faltem feculi con-
 ſuetudine introductus mos, vt, cum de aedificiis exſtruen-
 dis cogitandum eſt, materiei variae apparatus, paucis ante
 ſeptimanis apportetur, quam ipſius nouae domus ponan-
 tur fundamenta; cuius conſilii, ad diuturniorem aedium
 durabilitatem parum proficui, et phyſica et oeconomica
 pondera, vtpote huc non ſpectantia, vberius expendere
 haud eſt opus. Prudentius nihilo ſecius egiſſe maiores no-
 ſtros, dum, qui ad exſtruendas a nepotibus aliquando do-
 mos, neceſſarii erant apparatus, ab auis in tempore coem-
 ti in futuros vſus repositi fuerunt, annosiorum aedium,
 quae ſeculi aetatem et vltra tulerunt, complura teſtantur
 ſpecimina. Iam vero, quae muris conſtruendis adhibenda
 eſt calx, recentiſſima, ex furnis calcariis haud ita pridem
 producta, atque vix refrigerata, vſui quoque ſuo protinus
 impenditur. Ineſt vero calci magna admodum copia ſa-
 lis alcalini, pauco acido mixti; neque minorem ſulphurea-
 rum particularum ipſi admixtam eſſe quantitatem, ipſa la-
 pidis calcarii, dum calcinatur, ad flammam ſuſcipiendam
 promptiſſimi, comprobatur natura. Etiamſi vero aliqua ſul-
 phurearum iſtarum molecularum portio, volatilior videli-
 cet, ipſa hac toſtione eiiciatur, non tamen omnes expul-
 ſas eſſe, tum ex tetro patet foetore, quem calx, dum af-
 fuſa aqua maceratur, diffundit, atque ex eius inflammabi-
 litate, in aqua adhuc perdurante, tum intra ipſa concla-
 uia ſentitur, quae recentiore calce dealbata, ſimili grauif-
 ſimo odore moleſta ſunt, nonniſi a ſalinis, ſulphureis, et
 oleoſis effluuiis, ex calce exhalantibus, proueniente, qui-
 bus et acrem corroſiuam virtutem eſſe iunctam, ex ipſa
 non ſolum calcis natura iam expoſita cognoscitur, verum
 ex eius quoque effectibus patet, dum in vlceribus et vul-
 neribus exſiccandis et mundificandis, carnibus luxuriantibus
 exeden-

exedendis, et gangraenoso tabo absumendo, efficax admodum est remedium. Quantopere adeoque illi aduersus sanitatis offendant regulas, qui recens exstructa conclauia, nondum satis exsiccata, aut vixdum dealbata inhabitant, non adeo multis opus est comprobare argumentis, cum capitis dolores, vertiginosi insultus, catarrhosae molestiae, respirationis incommoda, oculorum varia vitia, ipsos grauiter admodum, errorum hac de parte commissorum moneant, quos nihilo fecius, antiquato quodam more, vernali atque autumnali tempore reiterari, opificum murariorum, temporibus istis in haec damna laboriosorum, affatim comprobant assiduitas. Perniciosas autem istis exhalationibus, aerem intra conclauia contentum valdopere inquinari, tum ipsorum sensuum patet ope, tum ex aeris colligitur qualitate, utpote cum magnam istarum molecularum copiam, et intra se recipiendi, et diu admodum continendi, instructus sit aptitudine, quas non in externa solum corporum nostrorum superficie leuiter forte haerere, suspicari conuenit, quin potius vias quoque, quibus mediante aere ad abditos interiorum partium recessus penetrent, neque paucas, neque obscuras patere, ex anatome et physiologia constat. x) At enim vero, quo minus ex parietum dealbatorum et humiditate, et tetricioribus vaporibus, incommodi quid oboriatur, aulaeorum impediri posse creditur velaminibus, neque incongrue quidem, si modo colorum, quibus picta sunt, ea fuerit indoles, quae intentioni huic, minime improbandae, plene faciat satis. Quodsi vero ista pigmenta, uti saepe moris est, fuligine, cera, auripigmento, oleo cocto, similiue constiterint materia, non minores

D 3

hac

x) Conferantur, quae de hoc argumento erudite admodum exposuit
EXPER. CHRISTIAN. FRIDR. KADELBACH, in vtraque
Dissertatione, de exhalationibus naturalibus, Lips. 1767. habitis,

hac ratione inuitari molestias, ex paulo ante dictis vltro colligi poterit, quas, etiamsi opulentiores auerterint, mediocri tamen et inferioris fortis domuum inquilinos manere, vtpote quorum semper maior in ciuitatibus est copia, et quibus conclauia aulaeis inuestire, propter indigentiam non licet, haud vllum est dubium. Neque vero ipsorum quoque conclauium, aliarumque partium, ea semper in aedibus est dispositio, quin, licet forte domesticae commoditati videatur conuenientior, sanitati tamen vel omnium, vel nonnullorum certe, deprehendatur infensa. Solae culinae, omnium instar funto exemplo, non semper opportuno loco, neque ita exstructae, vt cuncta ibidem peragenda negotia, commode satis expediantur. Neque enim camini aut foci ita vbiuis sunt collocati, vt aeris et ventorum habita ratione, fumi euitata fuerint incommoda, quidum non solum intra ipsas culinas diffusus, famularum oculis et pulmonibus quotidie molestus est, verum etiam, cum per vniuersam haud raro domum spissa caligine voluitur, non sine summo taedio ab habitatoribus ferendus est, eodemque ad perpetuas iustissimasque querelas sollicitat. Inde enim oculorum lacrimations, inflammationes, lippitudines, respirationis difficultas, raucedo, illis potissimum eueniunt, quibus intra has fumosas alimentorum officinas perpetim commorandum est. Nonne vero ad sanitatis publicae haud exiguam partem, famulitii quoque referenda erit incolumitas? quandoquidem his solis saepe, omnis rei domesticae et culinariae concredenda est cura, cum ipsas dominas dedecere videatur, ciborum praeparandorum atque mensae adornandae causa, coquinas frequentius inspicere; aliis enim negotiis tempus impendendum, atque recreationibus vacandum est; quinimo adeo forte exigua artis coquinariae peritia nonnullae videntur instructae, vt et ea propter
culinas

culinas fugiant, quoniam se vel a mediocri cocturaria facile victas iri, non immerito suspicantur; in quas omnino serio dici poterat, quod domesticae cuidam puellae apud GELLERTVM olim nostrum, per illusionem a domina sua obiicitur, quod ouis ad duritiem coquendis, salem haud adspergendum, esse, ignorauerit. y). Quodsi porro per plures aedium nonnullarum interiores ire lubeat partes, tum loca secretiora, aut fellas Patroclianas, ita parum apteprehendemus instructas, vt ingratis suis effluuiis, cubicula, imo vniuersam domum inficiant, tum et subterraneas habitationes reprobandi opportunitatem nanciscemur, quibus aeris non solum adempta est libertas, verum etiam in quibus ex humiditate istarum cryptarum, perquam multae morbosae habitatoribus inducuntur causae, quarum tamen fusiori enarrationi, quo minus inhaeream, angustioribus scriptiunculae huius impediatur limitibus, alio tempore de iisdem vberius expositurus.

X.

Plura enim iam addere haud conuenit; non deerit oportunitas, in argumento hoc persequendo, aliquam vel eapropter impendendi opellam, quod nunquam satis eos moneri posse credam, qui publicae rei curam gerentes, propter aliorum etiam negotiorum copiam, vix semper ad ea, quae passim in ciuitatibus obueniunt, atque minoris videntur aestimanda, sed maximo tamen damno esse poterant, attenti satis esse solent. Quodsi autem ii praecclare de republica mereri censentur, qui publica aedificia extruendo, aut publicas vias reparando, ciuitatum splendorem amplificant, aut iura sapienter administrando, pupillos

y) E. F. Gellerts Bethschwester, Act. III. Scen. 2.

pillos protegendo, oppressis patrocinando, afflictis opem ferendo, exactiones moderando, calamitatibus publicis, quod hoc ipso infausto tempore, in summa rei frumentariae inopia, a multis fit, liberaliter succurrendo, se sublimiore sua dignitate dignissimos esse, illustribus istis factis edocent, quanto maiore afficiendos iudicabimus honore, qui omni efficere conantur studio, vt intemerata ciuium suorum sit sanitas, vtque, quas ipsi saepe ciues ignorant, aut parum curant, complurium morborum causae, prouida remoueantur vigilantia, atque tristiores, vniuersam saepe rempublicam conturbaturi effectus, declinentur. Non enim solum laudabile est, praesentia depellere mala, sed longe maiorem in eo ponere conueniet gloriam, vt quidem exoptato quoque salutarium consiliorum euentu intelligatur, quam fructuosum sit, tristes ciuitatibus futuros, in tempore praeuenterere casus. His obuiam ire decet. Ita quilibet quoque, cui publica salus cordi est, laudandis hisce coeptis efficiet, vt

in populo possit maximus esse suo. 2)

2) OVIDIUS *Fastor.* Libr. V, v. 462.

